i. ego
grauarer si michi ipse confiderem. Nam et preclara
res est et sumus, ut dicit fannius ocíosi. Sed quis
ego sum? aut que est in me facultas? Doctorum est ista
consuetudo, eaque grecorum, ut his preponatur
de quo disputent quamuis subito. Magnum
opus est amicitie, egetque exercitatione non parua.
Quam ob rem que disputari de amicitia possunt,
ab his censeo petatis qui ista profitentur. Ego — no.
uos tantum hortari possum ut amicitiam omnibus
rebus humanis anteponatis, nichil est enim
tam nature aptum tam uel conueniens ad res uel
secundas uel aduersas. Sed hoc primum sentio
nisi in bonis amicitiam esse non posse. Neque ad
uiuum reseco, ut illi qui hoc subtilius dixerunt
fortasse uere, sed ad comunem utilitatem parum.
Negant enim quemquam esse uirum bonum nisi sa
pientem. Sit ita sane. Sed eam sapientiam inp
etrantur quam adhuc nemo mortalis con — no
secutus est. Nos autem ea que sunt in usu, uitaque
communi, non ea que finguntur aut optantur
spectare debemus. Hunquam ego dicam C. Fabri
tium. M. Curium. T. Coruncanum, quos sapi
entes maiores nostri iudicabant ad istorum

al' ad uiuum. uiuum: i. prout uera amicitia consideratur.

Ad uiuum. i. usque ad uiuum. Hec est metaphora sumpta a cerusico resecante carnes corruptas usque ad uiuas.